

et $CLK = CLM$ siue anguli incidentiae aequales. Inde e vestigio colligitur, angulos refractionis quoque inter se aequales, atque radium Kz rectae CL in eodem puncto, quo $M\mu$ ipsi occurrit, occursum esse.

Coroll. Quum (vi coroll. 1. praec. §.) sit $QM = n.LM$, erit vocato angulo MLK ϕ , MQK autem χ , $\text{tang } \chi : \text{tang } \phi = \frac{MK}{QM}$: $\frac{MK}{LM} = LM : QM = 1 : n$, atque ob paritatem angulorum χ et ϕ

siue notabili errore $\chi = \frac{1}{n} \phi$. Simili dein modo, quo in Coroll. 2. praec. probl. apparet, Q esse punctum dispersus radiorum omnium in plano rectarum LM , GH radio LM proxime incidentium atque in transitu plani rectarum AB , GH refractorum: et existente LM medio radiorum incidentium, ad quem vteruis extremorum angulo ϕ inclinatur, angulum, a medio radiorum refractorum et vtroque extremorum comprehensum, esse $= \frac{1}{n} \phi$. Denique obseruatio Coroll. 3. etiam huc trahenda est.

4.

Priusquam demonstratio propositionis §. 1. allatae suscipi queat, necesse est, vt modus, quo lumen Solis per foramen rotundum in cubiculum tenebricosum introductum diffunditur, paulo accuratius expendatur.

Eo fine fit VT sectio disci solaris apparentis facta a plano centra solis S et foraminis rotundi C , per quod lumen intromittitur, transeunte. Planum foraminis disco solari parallelum, et ad rectam centra solis et foraminis iungentem perpendicularare suppono, quum

Fig. 3.